



## **SCHOLA HOGVARTENSIS ARTIUM MAGICARUM ET FASCINATIONIS**

*Praeses: Albus Dumbledore (Primo Classi Ordinis Merlini Adscriptus, Incantator Grandis, Princeps Magorum Confederationis Internationalis Magicae)*

*Minerva McGonagall Praeses Vicaria Salutem Dicit Domino Pottero.*

*Placet nobis te certiolem facere locum tibi assignatum esse in Schola Hogvartensi Artium Magicarum et Fascinationis. Cum hac epistula indicem mittimus librorum et apparatus quibus tibi opus erit. Schola aperietur Kalendis Septembribus. Strigem tuam exspectamus non serius<sup>1</sup> quam Pridie Kalendas Augustas.*  
(Harrius Potter et Philosophi lapis, 2003)

### **De locis quae Catullo cara fuérunt.**

*Catùllus natus est Verónae, in urbe Gàlliae Cisalpinae, circiter anno octogésimo séptimo (87) ante Christum natum; villam possédit Sirmióne, quem locum in carmine laudat. Multae sunt hódie quoque Verónae parietinae<sup>2</sup> Romànae, inter quas fama notissima est Haréna illa Veronénsis, amphitheàtrum Romànum pulchérimum et perbene asservàtum. Sirmióne quoque, prope lacum Benàcum, parietinae Romànae restant, inter quas praesértim dignae memoriā sunt Spelùncae, quae vocàntur, Catulliànae: est quidem villa aetàtis Romànae, non tamen ea ubi poèta ille vixit.*  
(Iuvenis, 11/2000)

### **Satùrni dies**

*Satùrnus erat astrum<sup>3</sup> Satùrni diéi dicàtum. Hic dies Romànus erat parum faustus, sicut Véneris dies hodie in nonnullis regiónibus. Cur erat parum faustus?*  
*Satùrnus unus erat e deis qui protegébant labórem rùsticum, agros et sémina. Eius socia, Ops<sup>4</sup>, ségetes protegébat. Cum Romàni cultum civilem Graecum invenérunt, Satùrnus consociàtus est cum deo Chrono. Satùrnus enim non solum agri cultùram creàvit, sed etiam tempus. Osténditur sicut senex barbàtus, falcem manu tenens. Falx autem est imago labóris rùstici, sed etiam... mortis. Saturno tamen dicàta erant Saturnàlia, magna festa épulis, donis ludisque ornata! Satùrnus, cum celebràtur ut deus témporis, osténditur alàtus, quia tempus fugit et volat.*

(Iuvenis, 06/2002)

### **De Mausoleo Hadriano**

*Anno CXXXV p. Chr. n. illud aedificium incohàtum est; cùius vero structùra aliquànto ab ea, quam hódie vidére licet, differébat. Constàbat enim magna basi quadrata in qua mausoléum, cylindrica forma, innitebàtur; cùius in summo cacùmene magna erat ara cum dei Solis quadriga (Sol enim Graece Hélios*

<sup>1</sup> "più tardi"

<sup>2</sup> parietinae: ruinae, reliquiae aedificiórum antiquórum

<sup>3</sup> "pianeta"

<sup>4</sup> "Opì"

*dicebatur, quod erat etiam Hadriani nomen). Octo imperatores in illo mausoleo sepulti sunt una cum familiaribus suis, ab Hadriano ad Septimum Severum. VI saeculo p. Chr. n. vero id evenit, quo mausoleo nomen, quod etiam nunc habet, inditum est: Gregorio enim Magno pontifici angelus apparuisse dicitur in summo mausoleo, ut ei finem nuntiaret pestilentiae, qua Roma vastabatur. Exeunte vero XIV saeculo instaurari inchoatum est aedificium, et lente per saecula forma eius mutata est. Castrum fuit et carcer ab aetate media, quae dicitur, usque ad saeculum XIX.*

### **De locutionibus idiomaticis**

*Sic plerumque significamus eos omnes qui suas opes stulte et large dissipant Hanno le mani bucate (= habent manus foratas). Latine dicamus: «sunt inepte sumptuosi» vel «sunt sui stulte profusi» vel «sunt sumptui insipienter dediti».*

*Ha una bella (iron.) gatta da pelare (= cogitur pellem detrahere a non facili fele); hoc facete dici solet de quodam, ad quem munus arduum et plenum aleae perficere pertineat. Latine verti potest: «Ei est molestissimum negotium gerendum».* (Latinitas 3/1991)

### **Stadium omnium maximum**

*Adhuc hodie, Circus Maximus est maximum stadium umquam constructum. Eius amplitudo monstrabat Romae potentiam. Ibi celebrantur Ludi Romani, in honorem Iovis. Fundamenta huius ingentis stadii dicuntur locata esse a Tarquinio Prisco, sexto saeculo a. Chr. n. Quarto saeculo positae sunt lignae structurae. Iulius Caesar id auget et reficit. Secundo saeculo imperator Traianus id etiam maius facit. Quarto saeculo Constantinus Primus id magnifice restaurat. Stadium enim decursu temporum passum erat (aveva patito) nonnulla incendia. Circus Maximus longus est 600 metra, latus 140 metra. Continere poterat 250 milia hominum. Ibi praebebantur mirabilia spectacula. Pompeius obtulit certamen viginti elephantorum; hi vallum delevérunt, quo spectatores a bestiis protegebantur. Ludi Romani, quibus praebebantur et varia certamina et scaenae theatrae, tempore Augusti fiebant per duas fere septimanas. Ultimum certamen in Circo Maximo anno 549 oblatum est a Theoderico Primo, Ostrógotho, tunc Italiae rege.*

(Adulescens 10/2021)

### **La città di Alessandria in Egitto.**

*Alexandria maxima et amoenissima est omnium Aegypti urbium. Ibi aerae salubres spirant et aer est tranquillus et clemens; nullo paene (quasi) die eius incolae solem serenum non vident. Inter alia aedificia et templa, quae plurima et magnificentissima Alexandriam ornant, eminet Serapeum, Templum Serapidis, quod atriis columnatis amplissimis et pulcherrimis signis exornatum est: post Capitolium nihil homines maius aut magnificentius videre possunt. Quondam naves, ex Parthenio pelago vel Libyco ad hoc litus nocte venientes, saepe in litore frangebantur, quia fallaces et insidiosus accessus erant. Quare turris in portu excelsa aedificata est, quae Pharus a nomine loci cognominatur, ut navibus praeluceretur.*

*Kalendis Iuniis (1.6.) in Finlandia finis anni scholastici celebrabatur. Tum amplius quingenta milia scholarium ad ferias aestivas agendas dimissa sunt. Viginti quinque milia studentium in examine maturitatis approbata sunt, octoginta milia specimina scholae professionalis absolverunt. Qui numerus quinque milibus maior est quam anno praeterito.* (Nuntii Latini 18/06/2023 - Satu Tuominen)